

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


**De Caroli V. imp. erga rem evangelicam praecipue in
Saxonia lenitate**

Böhme, Johann Gottlob


Lipsiae, 1779


VD18 10256377-003

urn:nbn:de:bsz:31-95034



XII C. 23





DE
CAROLI V. IMP
ERGA
REM EVANGELICAM ²²
PRAECIPVE IN SAXONIA
LENITATE
DISSERIT

SIMVL
ORATIONIBVS
IN
MEMORIAM
HENRICIANAM
SEIFERTHIANAM
RIEDELIANAM

A. D. XIII. FEBR. A. C. N. CIOIOCCCLXXIX ¹⁷⁷⁹
PVBLICE RECITANDIS

PRAEFATVR
IO. GOTTLÖB BOEHMIVS
COLLEG. PHILOSOPH. H. T. EX-DECANVS

LIPSIAE
EX OFFICINA SOMMERIA

CHRISTOPH
VON
SACHSEN

HERZOG
VON
SACHSEN

JOHANN
VON
SACHSEN

1711

Aliquot ante annos, quum aditum ad me esset, auctore ac suasore viro magno, meorumque studiorum optimo patrono, vt aliquid prooemiarer ad Christiani Godofr. Oertelli nouum, de grauaminibus Religionis in Germania, Opus*; induxeram animum quaedam de Caesarum nostrorum, in rem Euangelicam, fauore atque indulgentia differere non plane proletaria. Quod meum propositum quamquam tum per alias occupationes meas euentum non habuit: tamen illud non prorsus de manibus dimitendum, sed ad alius temporis opportunitatem iudicauit seponendum esse. Ex iis igitur, quae composui rei expediendae idonea, promam nunc particulam potissimum eam, quae de Caroli V. Imperatoris in Religionem Euangelicam, praecipue Saxonicarum ecclesiarum, indulgentia continet commemorationes. Id institutum, credo, non reprehendent, nec me in grauissima re magis argutias minutasque narratiunculas venari, quam lucidam veritatem sequi, existimabunt ii, qui sci-

A 2

ent,

* *Vollständiges Corpus Grauaminum Religionis*, Regensb. 1771. 199.

ent, multis abhinc annis Neubauerum V. C. in tali argumento posuisse operam non illaudatam ¹.

Iam primum Carolo a natura ipsa ingenium erat inditum tam mite, tam ab tyrannide alienum, vt, inter quas natus educatusque erat gentes, priscae libertatis tenaces, iis regendis videretur quasi e caelo demissus. Quam naturae atque indolis eximiam bonitatem, tantum abfuit, vt imperii amplitudo, tot tantarumque rerum gestarum gloria, tanta fortunarum omnium adfluentia aut corruperit, aut vlla parte mutauerit, vt in altissimo culmine posita multo magis illuminaretur et exsplenderet. Quo factum est, vt, praeter caeteras virtutes summas Caroli praecipue benignitatem omnes, quasi concentu facto, praedicarent laudibus, et ad caelum tollerent. In his Io. Michael Brutus, vir praestans, in epistola quadam sua ² ad Philippum, Hispaniarum tum Principem, postea Regem, diserte scribit Carolum, "vt virtute, felicitate, sapientia, rerum maximarum vsu, aliisque omnibus Imperatoriis artibus superiores omnes, ita se ipsum superasse moderatione animi, clementia, facilitate, in summo rerum omnium fastigio". Sed iuuat audire praecipue

1) ERN FRID. NEUBAVERI de Imp. Caroli V. fauore et meritis in Augustanam Confessionem singularibus, Prolusio Hist. Magd. 1730.

2) Praemissa est eius Orationi, de rebus a Carolo V. Caes. Romanorum Imperatore gestis, (Antv. 1555. 12.)

pue Melanthonis testimonium ³, quod tanto verius ac praeclarius existimari debet, quanto ipse remotior erat a turpitudine adulationis. "Magnam haud dubie, inquit ille, admirationem habet apud vos eius (Caroli) perpetua felicitas; sed hoc longe admirabilius atque honestius est, quod in tantis successibus et rebus omnibus ad voluntatem fluentibus, moderationem animi tantam retinet, et nullum eius dictum aut factum paullo insolentius notari possit. Quem mihi Regum aut Imperatorum ex Annalibus proferes, quem secundae res non mutauerint? In hoc vno non potuit indulgentia fortunae animum a suo statu deiicere. Nulla in eo cupiditas, nulla significatio superbiae aut saeuitiae animaduerti potest. Nam, vt alia omittam, in hac ipsa causa Religionis, in qua contra nos, ab aduersariis, miris artibus incenditur, tamen hactenus nostros ciuilibiter audiuit." Neque aliis in locis ⁴ Melanthon praetermisit collaudare, vt verbo eius vtar, mansuetissimum Caesaris pectus, mitissimum ingenium.

Ac profecto enituit Caroli aequitas et moderatio nusquam splendidius, quam in grauissimis controuersis, ea aetate ortis agitatisque super Euangelii doctrina. Etenim

A 3 ea

3) In epistola ad Io. Silberborne- 363 sq. item in Consil. Theolog.
rum, inter MELANTHONIS Epi- p. 93. sq. et in Declam. Vuiteb. T.
stolas Selectiores, a CASP. PEVCE- II. p. 639.
no Vuitebergae 1568. 8. editas, p. 4) Vid. Epist. Select. p. II. 38.

ea res in quantum agi illius arbitrio potuit, in tantum acta est multo liberius, atque aduersarii volebant, aut ferre poterant. Igitur Caesar statim initio quum postulatam ab ipso esset, vt, antequam proueniret res, eam opprimeret, omninoque exstingueret, satius duxit causam cognoscere in Comitibus, Vuormatiae tum proxime habendis ⁵. In istis Comitibus quanta cum patientia ac comitate audierit Lutherum, verba coram confessu Principum facientem; quanta cum sollicitudine praestiterit fidem itus ac reditus, publico diplomate datam, res est notior in vulgus, quam vt a me hic pluribus commemoretur.

Ab ea mente Caesar nec insequentis temporibus omnino se dimoueri atque abstrahi passus est, quamuis a Pontificibus vrgeretur cum maxime, atque ad vim et arma quasi facibus subditis inflammaretur. Qua de re Melanthon ⁶, "Diu Pontifices, inquit, conati sunt in Germania ciuile bellum accendere: exstant enim litterae, in eam sententiam ad quosdam Principes scriptae. Sed Imperator Carolus parci voluit patriae, et, vt Ecclesiastico more

⁵) Vid. SLEIDANI Comment. de statu Relig. et Reipubl. Carolo V. Caesare, Lib. II. f. 25. sq. (edit. Argent. apud Rihelios Fr. 1556. f.) Conf. GEORGII SPALATINI An-

nales Reformationis p. II. sq.

⁶) In Epist. de Pontificiorum consiliis et artibus, inter Epist. Select. p. 118 sq. Conf. p. 123.

more diiudicarentur controuersiae dogmatum, iussit cogi Synodos: sed Pontifices vident, si piis et doctis cedant libertatem sententiae dicendae, regnum et opes venire in discrimen. Tentauit igitur Imperator alias vias diffidia componendi: qua in re laudanda est eius moderatio, et quod ciuilia bella prohibet, et quod deliberationes eruditorum, de doctrina, instituit.“ De Conciliis autem quod scribit Melanthon, id tum alibi satis cognitum testatumque est, tum plane confirmatur Ioachimi, Septemuiri Brandeburgici litteris ad Sigismundum, Poloniae Regem, missis ⁷: nec superuacaneum puto verba inde quaedam hic adponere. “Explorata mihi est, inquit ille, voluntas Caroli Imperatoris, Domini nostri Clementissimi, quem scio magna contentione a Clemente et Paulo III. petiisse, vt quam primum Synodus haberetur, et, rite cognitis rebus, concordia constitueretur. Sed Pontifices non valde adpetunt Synodos, et fortasse Regum iudicia non sine causa metuunt.“ Hanc talem congregationem flagitauit Carolus inprimis Bononiae ⁸, quum vna esset cum Pontifice Clemente VII. eamque vt extorqueret tandem, acerrime instituit, hoc maxime consilio,

7) Inter MELANTHONIS Epistolae Selectas, p. 502.

8) Vid. MELANTH. Op. de congressu Bononienfi Caroli V. Imp. et

Clementis Pont. recit. a PAVLLO DUMMERICHIO, inter Decl. Vuit. T. V. p. 87. sqq. et in CHYTRAEI Hist. Aug. Confess.

filio, vt in Germaniam profecturus ad Comitata, Augustam Vindelicorum indicta, secum concordiae non vanam spem adferret scissis in contraria studia miseris mortalibus. Quam in rem exstant et Mercurini Gattinarii, Cancellarii Caesariani, et ipsius Caesaris, ad Pontificem habitae orationes multo grauissimae, dignae profecto, quae apud Georgium Coelestinum legantur ⁹. Et Caesar quidem quum intelligeret Clementem obniti summo pere, et, vt in prouerbio est, remis atque velis fugere Synodum talem, quae recte gubernaretur, paullo vehementius cum eo agebat, plane professus ¹⁰, "neque tyrannice, sed secundum leges et Verbum Dei in talibus rebus procedendum esse, neque se consilium Pontificis sequuturum, vt, sine diiudicatione, bona pariter et mala deleret."

In qua sententia Carolum confirmauit, omninoque eius consiliorum, in Religionis causa, lenitatem adiuuit is, de quo ante dixi, Mercurinus, vir summus et in rem Euangelicam ipse mitissimus: quem, praesentibus et au-

dien-

9) In Historia Comitiorum An. Arborei Gattinarae, (Kilon. 1728. MDXXX. Augustae celebratorum, 4.) rec. in eius Hist. Sacrorum a T. I. f. 10. sq. Conf. MELANTH. Luthero reformatorem (Lipf. 1729. Or. I. c. SECKENDORFII Hist. Lutheranismi, L. II. p. 142. sq. PHIL. 4.) p. 206. n. **

10) Vid. MELANTH. Or. I. c.

FRID. HANF Memoria Merc,

dientibus multis nobilissimis et clarissimis viris, dixisse Ge. Spalatinus commemorat ", "se nihil magis habere in votis, quam vt Dux Elector Saxoniae, sociique coniuncti, constanter in Euangelii professione pergant et persistant, ac Concilium pium et liberum flagitent atque vrgeant. Si enim, pergit ille, vel minis deterreri et abduci a proposito, vel aliis verbis lenibus sese decipi, sibi que imponi patiantur, et non legitima Concilii cognitione causa decidatur, definiatur atque componatur: animum suum per totius vitae curriculum, in quo ad quiescere possit, non habiturum, sed semper vacillaturum, et de vera ac certa salutis adipiscendae, et vitae aeternae possidendae ratione atque via perpetuo dubitaturum."

Quae quum ita se haberent, non potuit non Germania, qua late Sacra puriora sequebatur, aduentante ad Augustana Comitium Caesare, itinerisque socio Mercurino, erigi in expectationem laetissimam, fore, vt cuncta in iis placide agerentur, et rei Euangelicae vtiliter constituerentur. Ac Mercurinum ipsum aiebant dicere, "se hac spe sequutum esse in aduersa valetudine Caesarem, quod arbitraretur fore, vt haec mala rite sanarentur. Violenta consilia se nolle adtingere, quia res ostenderit,

Vuor-

II) Apud COELEST. l. c. f. 36. b. Conf. SECKEND. l. c. p. 157.

B

Vuormatiae nihil profecisse illam damnationem iniquam¹².“ Sed vero in eo itinere diem suum obiit Oeniponte, ac concordiae spem paene omnem secum abstulit, vir bonis omnibus desideratissimus. Profecto Corn. Scepperus, vir doctus et prudens, Caesarisque amicus, teste Melanthon¹⁴, crebro aiebat, ”spem se habuisse pacis aliquam, viuo Mercurino: hoc exstincto, neminem esse in Aula, qui auctoritate valeat, qui pacis auctor sit.“ Ex quo intelligi potest, quantam in hoc vno viro iacturam fecerit Germania difficillimo suo tempore, quo, vt Melanthonis vtar verbo¹⁵, tot Erinnyes Caesarem ad bellum accendebant.

At vero Caesar, vel quod rem vere aestimaret, vel quod priuatis causis deterreretur a crudelitate in Evangelicos, Germaniam pacate ingressus, ramum, vt ait poeta, praetendit oliuae, ac litteris publicis bonum eos ani-

12) Vid. MELANTH. Epist. ad Ioach. Camerarium, p. 137. item Epist. Select. p. 3. Conf. p. 364.

13) Die IV. Iun. An. MDXXX. Exstant Epitaphia, Epigrammata et Elegiae aliquot illustrium virorum, in funere Mercurini Cardinalis, Marchionis Gattinariae, (Antuerp. 1531. 4.) Liber rarissimus, mihi olim donatus humanissime a Io. Georgio

Schelhornio, Sacrorum apud Memmingenses quondam Antistite doctissimo. Conf. HANII Memoria Merc. Arborei Gattinariae. —

14) In Epist. ad Mart. Lutherum, inter Epist. Select. p. 8. et in Conf. Theol. p. 88. 92. Conf. SCEPPERI Eleg. inter Epitaphia, in funere Mercurini.

15) In Epist. Select. p. 178.

animum habere iussit ¹⁶: "quippe causam Religionis tractandam esse in caritate, lenitate et mansuetudine." Secundum haec Ioannes, Archiepiscopus Lundensis *, ad principes nostros, inquit Melanthon ¹⁷, ita scripsit, venire Caesarem in Germaniam, non ut bellum civile moveat, nec, ut sanguinem piorum propinet exorbendum Pontificibus; sed ut deliberet de concordia, moderatis consiliis facienda: ac hortatus est nostros, ut et ipsi diligenter cogitent, quarum rerum mitigatio ad firmam et durabilem tranquillitatem profutura sit."

Verum haec moderatio Caesaris quanto optabilior Evangelicis, tanto minus probata fuit aduersae parti: nec deerant, qui ea propter reprehenderent prudentissimum Principem, atque conuiciis lacefferent. In illis Io. Eccius, impudentissimum os, "aperte, audientibus nostris, ut Lutherus ait in Commonitione ad Germanos ¹⁸,

B 2

dice-

16) In GOLDASTI Constit. Imp. *sa divisione, rediit in Germaniam, et ad Caesarem adplicuit, postea factus Episcopus Constantiensis.* (Reichs-Satzungen) P. II. p. 227. Conf. COELEST. l. c. f. 15. b. SECKEND. L. II. p. 151.

*) SLEIDANVS l. c. L. XII. f. 161. *Is, quem dixi, Londensis Archiepiscopus, erat patria Germanus, et Christierni, Daniae Regis, Consiliarius, eoquo fugato, factus exsul, et amif-*

17) In Epist. Select. p. 187. Conf. IOACH. CAMERARII Vita Phil. Melanthonis, (Lipf. 1723, 8.) p. 123. sq.

18) Apud COELEST. l. c. T. IV. f. 105,

dicere veritus non fuit: Si Caesar ita, vt Bononiae in Consilio conclusum fuerat, egisset, et statim, post aduentum suum in Germaniam, arma mouisset in Lutheranos, ac passim eos, vt sua quemque fors obtulisset, iugulasset, tum vere recte actum fuisse: at vbi Imperator Electorem Saxoniae per Cancellarium caussam agentem audiisset, perturbata esse omnia illa optime excogitata consilia.“ De Cancellario autem quod in transcursu Eccius meminit, id plenius intelligitur ex commemoratione Melanthonis ¹⁹, qui Eccium refert dixisse, ”Pontani (id erat nomen Cancellario) χρησιολογία et ipsius Melanthonis ἐπιεικείαις effectum esse, vt non perinde Carolus caleret, quemadmodum caussa postularet.“ Nihil nunc dicam de Campegio, Oratore Pontificio, rei Euangelicae, infensissimo hoste ²⁰: cum quo e Germanis Principibus multo maxime faciebant, praeter Brandenburgicum Principem Electorem, Georgius Saxo, ac Bauariae Duces, qui atrociam cum eo consilia communicabant. Ab his narrat Raynaldus ²¹ Caesarem aliquando etiam ”obiurgatum esse,

f. 195. b. Theodisce scripta hoc titulo: *Warnung an seine lieben Teutschen*: exstat in Opp. (ed. Altenb.) T. V. p. 529. sqq. Renou. in HERM. VON DER HARDT Hist. Litt. Reform. P. IV. p. 160. 20) Vid. MELANTH. Epist. Select. p. 8. item Consil. Theol. p. 92. 19) Vid. Consil. Theol. p. 90. 21) Ann. Eccl. ad An. 1541. n. 1. item IO. SCVLTI Ann. Euang. Conf. SECKEND. l. c. L. III. p. 367.

esse, praesente solum Granuellano, ob errores, clementia et indulgentia sua commissos, quod haeresin non exciderit, et Religionem labefactari permiserit; licet ipsi omnes vires operasque suas, quin ipsam vitam, ad id obtulissent.“

Inter haec et talia, nihil quidquam in tota Aula, incredibile dictu! mitius fuit ipso Caesare ²². Itaque is in Augustano Conuentu diligenter cauit, ne cruentis consiliis exasperari se pateretur, sed vt animum ab istis, tamquam a venenis, purum atque integrum seruaret. Qua de caussa, Melanthon teste ²³, adhibuit tum ad deliberationem, de Religione, neque Bauaros, nec Georgium, Saxoniae Ducem, cuius inprimis pertinaciam plane ferream satis norat. Quibus rebus excitata velut ab inferis ac resuscitata est Euangelicorum spes atque expectatio. Igitur qui Augustae tum aderat cum Electore Saxone Georg. Spalatinus, disertè scribit ²⁴: *So ist auch*

B 3 nie-

- 22) MELANTHON. Ep. Sel. p. 8. fere modum in Epist. Select. p. 13.
 23) Loc. comm. p. 2. *Non admittit Bauaros, ἕτερον ἡρώργιον, ad deliberationem de Religione: vult enim se seruare integrum.* Hoc nomine Saxonem designat etiam in Epist. ad Camerarium, p. 139. Alia epistola p. 120. eum vocat *Agricolam nostrum ἡρώργιον*: et ad hunc *Rusticum.* Rursus alia epistola p. 139. alio vocabulo vitur.
 24) Loc. comm. p. 147. Eadem in sententiam MELANTHON Epist. Select. p. 38. *Ego nihil dubito inquit, falli quosdam, qui spes habent immoderatas, eamque ob causam*

niemanden keyn leid wiederfahren. Auch ist der Kayser fast frumm, hett er nur vil frummer gelerter leut und diser sache verstendig umb sich. Darumb durffen sich die Papisten nichts ruhmen. Sie sind noch nicht uber den graben.

Iam vero in istis Comitibus Carolus novum veluti signum mansuetudinis lenitatisque suae, in causa Religionis, sustulit, concessa Evangelicis publica Fidei professione, eaque benevole ac diligenter audita. Quae quidem lenitas etiam in hoc cernebatur, quod Formulae duo exemplaria, Theodisco sermone alterum, alterum Latino perscripta, quamvis ringerentur ac toruum tuerentur multi, ultro porrecta manu excepit, significavitque per Fridericum Palatinum Evangelicis, ita se acturum esse, re curatius pensitata, ut de ipsius propensissima erga se voluntate nulli dubitare possent. Id quod ingenue, ut solet, testatur Spalatinus ³¹, his verbis:

Ende-

Sam vndique faces admouent mirissimo ingenio Caesaris, ut eum ad bellum mouendum accendant.

31) Loc. comm. p. 139. Conf. FRID. MYCONII Hist. Reform. p. 92. sq. Anonymi Saxonis Bericht von Vebereichung der A. C. in ERN. BAL. CYPRIANI Historie der A. C. Beyl. N. IX. p. 110. 10, IOACH.

MULLERI Hist. von der Evangelischen Sündre-Protestation, p. 587. sq. MYCONIUS quidem ita rem commemorat, ut Carolum dicat voluisse quidem ista exemplaria ad se recipere, sed, quo minus id faceret, impeditum esse a Ferdinando fratre. Darnach ward die Evangelische Lehr — von den Evangelischen Confessoribus

Endlich, da das bekentnuß ausgelesen, und beyde das lateinisch und deutsch doctör Bruck, Cantzler, Alexander Schweis, Kayserlichen Secretarien, und durch ihm dem Ertzbischof zcu Meintz reichen hat wollen, hat Kay. Mai. selbs darnach griffen und sie zcu ihm genohmen, mit Gnedigen erbieten, durch Hertzog Fridrichen, pfaltzgraffen, der sachen ferner nachzutrachten. Neque audent rem in dubium vocare ipsi scriptores Pontificii, Rouerus Pontanus ³², alique. At non modo benignis auribus Caesar hanc Euangelicae doctrinae summam accepit, sed sensit etiam ab ea quosdam quasi aculeos in pectore sibi relictos esse. Itaque, vt memoriae proditum est ³³, dixit aliquoties: Haud se impetrare ab animo suo posse, vt adeo malam et impiam existimet doctrinam eam, cui tot tamque praestante eruditione ac pietate viri sint addicti. Neque adnuit plane partis aduersae Principibus, dira edicta postulantis contra Euangelicos: immo vero, teste ipso Henrico, Duce Brunswicensi, acerbissimas illorum sententias

ribus und Stränden, dem Kayser und dem Reich, auch allen Legaten der König und Potentaten uberantwort, und verlesen. Darnach als man es dem Kayser mit Erbieten, daß man sich weiter declariren wolt, überantwortet, und er es annehmen wolt, rücker ihm der König Ferdinandus die Hand zurücke, daß ers nicht annahm.

32) Rer. Memorab. L. III. p. 172.

33) Vid. Seckend. L. III. p. 6.

tias mitigavit ³⁴. Quae eius mens, longe auersa a crudelitate et sanguine, adparuit etiam tum, quum Georgium, Marchionem Brandenburgicum, paullo animosius adseuerantem, malle cruentae morti occumbere, malle ceruicem feriendam praebere, quam recedere ab Evangelica Fide, placaret voce placidissima, ac de vita et fortuna securum iuberet esse ³⁵. Atque talem se per eandem fere occasionem, praestitit Ioanni, Electori Saxoniae, quem vehementer exterruerat sententia minax Ioachimi Brandenburgici. Eam Spalatinus hanc fuisse memorat ³⁶: *Marggraf Ioachim zcu Brandenburg, Churfurst, solt unter andern dise vnsfreundliche, drawliche wort in derselben handlung gefurt haben: Wo dieser Churfurst zcu Sachsen, Hertzog Iohans etc. der neuen luthe-*

34) Vid. MELANTHONIS Epist. Select. p. 8. item Consil. Theol. p. 92.

35) SCVLTTETVS l. c. p. 160. *Ioachimus Elector, et Georgius, Dux Saxoniae, nil nisi minas spirabat et gladios, per Euangelicorum iugulum ituros. — Et Georgius, Brandenburgicus Marchio, pio zelo exardescens, inter cetera non dubitauit etiam haec proferre: "Malle se, flexis ibi costam Caes. M. genibus, spiculatori ceruicem feriendam statim praebere,*

re, quam Deum et Euangelium ipsius abnegare." Qua voce audita, Imperator placidissime respondit, non de ceruice cuiusquam ferienda agi. — SECKEND. l. c. L. II. p. 162. Caesaris ad haec vox obseruata est, placide et bis reuerentis. "Nicht kopf ab, nicht kopf ab": quasi diceret, non hoc agi, ut cuiquam vita eriperetur.

36) Loc. comm. p. 151. Conf. COELESTIN. l. c. T. III. f. 28. SECKEND. l. c. p. 175.

lutherischen lere nicht wurde absteen, so wurden Kay. Mai. ihm und ihren anhangern nach landen und leuten, leib und leben, ehre und gut, auch weibern und kindern zutrachten. Refert etiam Spalatinus, iactatas minas esse, vt, ni abstineret se Saxo a doctrina Euangelica, fore, vt Turcae in eum immittantur. Die schreckung ging auch so hoch, schwind und vnchristlich, das Hertzog Iohanns zu Sachsen, Churfurst, einsten seinen gelerten auf demselben Reichstag antzeigt: Das sie ihm draweten, wo er dieser lere nicht abstunde, so wolten sie den Turcken auf ihn schicken. Tum addit: Aber, Gott lob! bald Sontags Afre, nach mittag, wurd er von Kay. Mai. aufs allergutigst und gnedigst angenommen.

Sed quae acta sunt illis temporibus Augustae, eorum omnium tanta celebritas est, ob frequentem et copiosam idoneorum auctorum narrationem, vt istis immorari superuacaneum sit, praesertim in hoc tali libello, in quo ponere vulgata nihil adtinet. Igitur omittam de Augustani Conuentus Decreto asperiore, quam pro expectatione, dicere: nec pacem commemorabo, haud multo post Noribergae³⁷ non quidem concessam Euangelicis, attamen ostensam. Denique filebimus etiam illud, quam
beni-

37) Vid. SLEIDANI. Comni. Lib. Diss. de prima Pace Religiosa Noribergensi.
VIII. f. 106. — IO. DAV. KOELERI

benigniter cum Euangelicis egerit in Comitibus, anno supra millesimum quingentesimum quadregesimo quarto Spiraë habitis ³⁸.

Talem autem ac tantam Caesaris in Religionis causa moderationem, tot et tam luculentis speciminibus demonstratam, fuere iam tum nonnulli, quorum vel sagacitas, vel timor in partem deteriorem interpretaretur. Hi Carolum suspicabantur, ut sane plerisque visus est interdum esse versutior ³⁹, haec omnia magis in speciem simulare, quam vere atque ex animo sentire; aliud in ore promptum habere, aliud clausum in pectore; id praecipue agere et spectare, ut promissionibus largis et pulcris Euangelici, tamquam esca auiculae, deciperentur, et, non intellecta fraude, opprimerentur. Alii alias eius rei causas exputauere; veluti, quod aduersus Turcas et Francogallos opus fuisset auxiliis, quae quo facilius ab Euangelicis impetrarentur, eo illos mitius ac lenius tractari debuisse. In ea sententia fuit Ioach. Camera-
rius,

38) SLEIDANVS L. XV. f. 209.
b. SECKEND. L. III. p. 473. sqq.

39) THVANVS Hist. sui temporis L. XXIII. Cautior interdum Caesar, et supra, quam in illa fortuna decuit, versutior plerisque visus est, ob idque lectione Historiae Ludouici XI.

a Philippo Comineo, prudentissimo Equite, scriptae, delectatus fuisse perhibetur: in qua ut multa prudentiae praecepta tradi inficias non ierim, ita plura minus ingenui atque adeo parum Regii animi exempla reperiri, negari minime potest.

rius⁴⁰, illis temporibus aequalis, atque e recentioribus, vt hunc potissimum laudem, Iac. Perizonius⁴¹. Hic postquam de seueritate Augustani Decreti exposuit, "Vt-terius tamen, inquit, tunc procedere, aut vim statim inferre Protestantibus non ausus est Caesar, grauem, quae a Turcis denuo impendebat, tempestatem, Hungariae simul et Germaniae forsan incubituram, metuens, nec satis Gallorum Regi, neque ipsi in Italia Papae, fidens." Rursus Perizonius, vbi de Spirensi illo Con-ventu commemorat, ait⁴²: "In Germania Caesar, dum bello erat Gallico, sicuti frater eius Turcico, districtus, mirifice blandiebatur Protestantibus; aduentantes in Concilium Gentis Spirensis, quod indixerat, humanissime excipiebat, tractabatque; iram prae se ferebat in Papam; adfinitatem cum Saxone contrahebat: — denique Decretum formabat, callide quidem, et vt omnia manerent suspensa, vsque ad Concilium Ecclesiasticum. — Causa tantae benignitatis, licet dolosae, erat, vt contra Gallum sibi illos iungeret: sicuti et auxilia hac ratione impetrauit." Haec et et talia aut prorsus refellere, aut

C 2

pro

- 40) In Vita Phil. Melanthonia, §. 42. p. 139. *Ad quas actiones animus voluntasque Imperatoris Caroli ideo erat propensior, quod compertum ille habebat, expedita esse arma Turcica, et magnos exercitus contractos, qui pergentes iam Pannoniae adpro-*
- pinquarent, ipso gentis illius Imperatore, quem Magnum Turcam vocant, copias adducente.*
- 41) In Commentariis rerum per Europam gestarum, ab ineunte Sec. XVI. — p. 172.
- 42) Loc. comm. p. 322. sq.

pro certis adfirmare, non est mihi consilium. Interim facilius adduci me patiar, ut Caesarem credam seruos Evangelicos voluisse, non modo concordiae causa, verum etiam ne, illis oppressis, aduersarii caput erigerent altius, et dominationem, quam ille animo voluebat, impedirent atque cohiberent. Habent enim consilia Principum etiam bona plerumque aliquid admixtum iniquae voluntatis ac malae libidinis.

Sed quid ego rem claram atque illustrem conor ratiunculis, tamquam nebulis, obducere atque obscurare? Nam certe Evangelici, quod pax tum in Germania constaret, id solius esse Caesaris beneficium, publice in Conuentu Spirensi praedicarunt. "Agnosimus enim multis iam annis, (verba sunt illorum apud Spalatinum ⁴³) singulari consilio et pietate erga patriam solius Caes. M. V. pacem in Germania retentam esse, quum nonnulli iniustis cupiditatibus turbari eam cuperent. Porro quam salutaris fuerit vniuersae Germaniae haec, in retinenda pace, constantia voluntatis Caes. M. V. non difficile est iudicare. Nullum enim est maius et luctuosius malum bello ciuili. Quare ex animo gratias agimus Caes. M. V. quod ciuilia arma prohibuit. Est enim haec egregia virtus, et digna tanto Principe, quem
Deus

43) In Annal. Reformationis, loc. comm. p. 544. sq.

Deus ad fastigium Orbis terrarum euexit, quod controuersias Ecclesiasticas ita dirimi voluit Ecclesiasticis iudiciis, vt simul vniuersae Ecclesiae in Synodo confuleretur, nec dissiparentur violentis modis Ecclesiae in Germania.“

Haec operae pretium duxi vniuerse de Caroli V. Caesaris, in Euangelicam rem, singulari lenitate differere. Nunc id agam, quod superest, vt propositum expediat. Sed quoniam longius in his oratione sum prouectus, quam constitueram, licebit mihi iam esse breuiori.

In illis igitur dissidiis, quibus Germania huc vsque vehementer adflicta et quasi distracta erat, Caesar mitem se ac benignum praebuerat praecipue Electori Saxoniae, Ioanni in Augustano Concilio, de quo supra diximus, item Ioanni Friderico per varias occasiones. Itaque in primis hunc adesse iusserat in Conuentu Ratibonae, anno eius seculi primo et quadragesimo; sperans, vt praese ferebat, eius praesentiam negotiis publicis multum auctoritatis adlaturam, et ad perficiendas res magno adiumento futuram esse. Scripsit certe tum illa ex vrbe Caspar Cruciger, Vnitebergensium praeclarus doctor, haec ad Ionam et Pomeranum ⁴⁴: "Ipsius Imperatoris

C 3

admi-

44) Apud SCHELHORNIVM, in *Geschichte und Litteratur*) T. II. Amoenit. Historiae Eccl. et Litter. p. 411 sq.
(Ergänzlichkeiten aus der Kirchen-

admiranda est modestia in adparatu, et in respondendo lenitas. Heri Legati nostri exposuerunt ei, cur non aduenerit Dux Saxoniae Elector. Respondit paucis, valde se ipse aduentum exspectare; quem quidem existimat profuturum ad communem tranquillitatem. Sed tamen consideraturum se esse causas a Legatis propositas, et probare ipsam legationem. Ac hortatus est, ut consilia ac studia conferant ad pacem conseruandam.⁴⁵ In Comitibus, aliquot annis post, Spirae celebratis, Caesaris erga illum beneuolentia nouis quasi luminibus adparuerat, ut etiam spes aliqua iniiceretur contrahendae adfinitatis. Sed mox quum Saxo Elector apud Caesarem esset infimulatus, quod pacis negotium non modo extraheret, sed etiam multis modis impediret: conflauit eius odium sibi, quamuis initio adhuc, ut cum poeta loquar, suppositum cineri dolofo. Qua de re expedit repetere hoc loco ea, quae Seckendorffius memoriae tradidit⁴⁵. "Carolouitius, ut ex Camerarii, ad Melanthonem, litteris Pontanus Electori scripsit, Lipsiae quaedam effutierat, quae euentus postea explicauit, de odio, quod Elector sibi apud Caesarem procuraret, et de fauore, quem Caesar Mauritio exhiberet: a quo multa in posterum speranda essent." Praeterquam quod autem
 Elector

45) In Hist. Lutheranismi, loc. comm, p. 571.

Electo minus curare odium Caesaris videbatur, etiam quaedam alia deinde acciderunt in Ratisbonensi Conventu, anno quadragesimo sexto post millesimum quingentesimum, quibus Caesar sic exasperatus ira est, ut retineri concordia non posset. "Quum enim Conuentus, inquit Camerarius⁴⁶, ad Danubium iam ageretur, et inchoatae essent disputationes de controuersis Ecclesiasticae doctrinae, inter eos, qui de illis sedate et moderate colloqui iussi fuerant, — nescio quibus certaminibus exortis, etiam percussis vana, ut ferebatur, formidine quibusdam, quum essent reuocati Saxonici, ceteri quoque his adiuncti discesserunt, et ita colloquutiones illae abruptae sunt. — Imperator autem inprimis factum hoc grauiter et iniquo animo tulit, et ad cetera putatur animo retulisse, quae ad contemptum sui, et maiestatem Imperatoris minuendam laedendamque pertinere arbitraretur. — Quibus omnibus irritatus ille, induxisse putatur tandem in animum et constituiisse secum, bello decernere, et auctoritatem Imperii sui armis defendere: ad quae sumenda nullius instigatio haecenus eum adducere potuisset." Haec ita Camerarius. Contra vero Perizonius⁴⁷, quem ante dixi, rerum non ignobilis auctor, culpam rupti Colloquii in Caesarem inclinat, atque con-

46) In Vita Melanth §. 68. p. 24. 47) Loc. comm. p. 340. fqq.

contumeliis eum onerat. Quae narrationum diuortia nunc non componam.

Itaque, ut ad rem redeam, ventum est ad bellum faeuum et atrox. Cuius belli, ad Danubium orti, mole tandem ad Albin, tot terrarum locorumque intervallo disunctum, pertracta, Caesar praelio ad Mulbergam victor cepit Saxonem Electorem. Ad cuius primum conspectum quamquam animo commotior et verbis asperior, quam pro mansuetudine sua, visus erat, mox tamen redire ad sese coepit ac mitescere. Nam quum in castris ad Vuitebergam Elector, ob violatam Caesaris maiestatem, damnatus capitis esset, instaretque vehementer atque vrgeret Ferdinandus Rex, ut supplicium de illo sumeretur: sane maluit Caesar, consilio Salutii Marchionis, et in primis Electoris Brandenburgici, motus finire exorari se, et conditionibus rem confici, quas etiam durissimas hostis libenter accepturus esset ⁴⁸. Nec, insequuto tempore, Aloyfio Lip-

48) Excerpta e BARTHOLOMAEO ZASTROVITZ Chron. Mscr. in SCHOETGENII Spicilegio Diplomatico Hist. Sax. Sup. (Diplom. Nachlese der Historie von Ober-Sachsen) P. VI. p. 274. sq. Wie er Ferdinandus dan, nachdem Churfürst zum Tode verurthelet, fleißig beym Keyser angehalten, ihn poma-
enthalten zu lassen. Das habe, ehe noch der Churfürst von Brandenburg ins Lager gekommen, der Marquis de Salutz wiederrathen, sondern gerathen, der Keyser solte ihn vor seinen höchsten Schatz halten. Denn würde er ihn lassen richten, so würde er das gantze Reich teutscher Nation wieder sich

pomano, Paulli III. Pontificis Legato, aures praebuit, suadenti postulantique, vt poenas pariter Elector Saxo ac Philippus, Hassiae Princeps, luerent. „Quis nescit, inquit Vergerius ⁴⁹, hunc ipsum Veronae Episcopum (Aloyf. Lippomanum) quum, anno millesimo quingentesimo quadragesimo octauo, legatione Paulli Papae III. in Germania fungeretur, suggessisse Carolo et Ferdinando, sapientissimis et gloriosissimis Regibus, consilium, quamquam frustra, propter summam eius impietatem et nefariam crudelitatem, de capite plectendo Ioanne Friderico, Duce Saxoniae Electore, et simul Philippo, Landgrauio Hassiae, eius concaptiuo.“

In

sich haben. De Electore autem Brandeburgico quod ZASTROVIVS meminit, paullo plenius exponit SLEIDANVS l. c. L. XIX. f. 271. *Capto Saxone, Caesar Vuirebergam petit, eoque cum exercitu, Maii die quarta, peruenit, ac triduo post, Ioannem Fridericum ob rebellionem, vt ait, capitis damnat. — Brandenburgicus autem Elector vbi de facto praelio cognouit, statim iter arripit, et ad Maii diem sextum in castra venit, et Caesaris animum mitigat, vt Saxone*

conseruato sententiam mutaret. Conditiones ergo Caesar proponit: quas vbi Saxo ratas habuit, Maii die decimo octauo vitam redemit. Conf. HENR. MERCKELII Narratio vera et vberior de obsidione vrbis Magdeb. — (Warbafftiger ausführlicher Bericht von der Altenstadt Magdeburg Belagerung, Magdeb. 1587. 4.) apud HORTLEDER. de caulis Belli Germ. T. II. Lib. IV. c. 19. (edit. A. 1645.) p. 1237.
49) In Catal. Haeretic.

D

In conditionibus autem illis, quarum facta est mentio, iactatum erat etiam hoc, ut desisteret Elector refragari Decretis Tridentini Concilii, et plane iis animum addiceret. Id quod prorsus abnuere adeo illi fixum obstinatumque erat, ut palam diceret, se millies moriturum potius, quam ut ab Euangelica doctrina vel latum vnguem discederet. Cuius constantiae Caesar tandem illi veniam concessit, neque vllum iniquae voluntatis signum dedit⁵⁰. Nam paullo post, quum precibus flagitaret Elector, ut prius, quam diuelleretur a suis, sibi liceret Vuitebergam ingredi, ac valedicere uxori, liberis, ipsi etiam ciuitati antea suae, id haud difficulter a Caesare impetrauit⁵¹. Laudant per hanc occasionem tum nostri scriptores, tum exteri, eius erga Sibyllam, Electoris coniugem, singularem beneuolentiam, qua paene oppressam fato mariti erexit et confirmauit⁵².

Inter-

50) Formula pacificationis, inter Carolum V. Imp. et Io. Fridericum, Elect. Sax. est apud HORTLEDERVM l. c. Lib. III. c. 72. p. 582 sq. Conf. SLEIDANI Comm. f. 271.

51) SLEIDANVS l. c. f. 270. b. Conf. ZASTROV. l. c. p. 275. item Anonymi *Merkw. Schreiben — im Feldlager vor Wittenberg*, — in

SAM. WILH. OETTERI *Sammlung von Nachrichten* — T. II. p. 268.

52) SLEIDANVS l. c. *Facta de ditione, Saxonis uxor, Sibylla Clivenfis, egressa cum filio et fratre mariti, venit in castra, et supplex facta, Caesarem multis cum lacrimis deprecatur pro coniuge: Caesar eam perhumaniter accipit et confirmat.* —

Interea Caesar, victoria vsus moderate, nil quidquam sibi iuris in Saxonicas ecclesias vindicat, et religionem esse intaminatam finit. Quin etiam ab ipsa Vuiteberga vrbe, quamuis ea tota, cum diuinis humanisque rebus omnibus, in ipsius potestatem venisset, essentque multi, qui metuerent, ne illam, tamquam cubile haeresium, exitio daret, seu ira, seu quorundam consiliis instigatus, tamen ab ea vim et arma abstinuit⁵³, atque externos milites, ferocios quippe ceteris et rapaciosos, ab ingressu cohibuit ac repressit. „Caesarea Maiestas, inquit Casp. Cruziger⁵⁴, obtulit nobis pacem, et externas nationes, quas metuebamus, prohibuit, ne ingrederentur in nostram ciuitatem: immo etiam mandauit nobis, vt vi arceremus a nobis,

D 2

fi

Conf. IO. BAPT. ADRIANI Hist. sui temporis (*Istoria de suoi tempi, in Venetia, 1587. 4*) T. I. Lib. VI. p. 394.

53) MERCKELIUS l. c. p. 1238. *Da ein jedermann gemeinet, wenn die Key. Mai. die Ketzergruben, sentinam omnium haeresium, Wittenberg, vnd armen Rattenest, (wie sie die Feinde genannt,) bekommen würde, das er nicht einen Stein auf dem andern würde bleiben lassen.* Conf. IO. BVGENHAGEN (Pome-

rani) *Wahrhaftige Historie, wie es uns zu Wittenberg in der Stadt gegangen ist, in diesem vergangenen Kriege*, apud HORTLEDERVM l. c. L. III. c. 73. p. 574. De munimentis autem, quae tum ea vrbs habebat firmissima, et de validis praefidiis, vid. Anonymi Litt. Memorab. l. c. p. 260.

54) Apud SCHELHORNIVM l. c. T. III. p. 2092. Conf. POMERANI Hist. Rer. Vuiteb. superiore bello, l. c. p. 574.

fi qui, non iussi a Caesarea Maiestate, tentauerint ingredi. Gratiarum agimus Caesareae Maieitati, et imprimis vero Deo, qui seruauit hanc ciuitatem." Iam Caesar ipse quum ciuitatem inuiseret, non modo hostile nihil praetulit, nec a suorum aliquo quemquam iniuria aut damno adfici passus est, sed etiam comiter egit⁵⁵, et in Euangelica sacra aequum se ac benignum exhibuit. Memorabile in hanc rem illud imprimis est, quod ab Io. Pomerano relatum legimus⁵⁶: „Caesarea Maestas hic fuit in arce, tantum visendi gratia: mox enim discessit in castra sua extra urbem. Quum autem intellexisset in arce, quod per duos dies, postquam Caesariani milites intromissi essent, cessasset ibi cantus et praedicationem, indignatus dixit: Quis hic perturbat cantum et praedicationem? Et statim coeperunt ibi rursus cantare, et quotidie praedicare, ut haec tenet⁵⁷. Vetus adhuc fama tenet⁵⁷, Caesarem tum Aedem sacram, quae ibi in arce est, ingressum, accessisse ad sepulcrum Lutheri, incitatumque esse a suis, ut iuberet corpus effodi,

55) SLEIDANVS l. c. *Bi duo post, Rex Ferdinandus — venit in oppidum, spectandi solum causa, neque diu moratus, redit in castra. Post meridiem, Caesar etiam ingreditur: et quum in arcem venisset uxorem Saxonis captiui salutat, e*

iterum consolatus, bono esse animo iubet.

56) Apud SCHELHORNIVM l. c. p. 2095. Conf. POMERANI Hist. Rerum Vuiteb, l. c. p. 575.

57) Vid. SLEIDANI Comm. Lib. XIX. C. G. Hofmanni Mem. fune-

di, flammisque infelicibus vstulari; sed ad hanc tam diram vocem surdas aures habuisse. Sed certe non est vllum eius vrbis Templum a Caesare aditum. Ait enim Pomeranus⁵⁸, qui prope aderat: *Seine Mai. kam vber den Kirchhoff, ritte für meiner Thüre über, als seine Mai. ein Crucifix gemahlt sahe an der Kirchen, blösset seine Mai. sein Haupt, vnd die andern Herren auch: seine Mai. liefs fragen nach den Schlüsseln, were gern in vnser Kirchen gewesen; aber vnser Chüster war nicht vorhanden. Da besahe seine Mai. die Stadt vnd Feste.* Praeterea tantae huic Caesaris, in illam urbem indulgentiae etiam hoc monumento est, quod restaurari ibi bonas litteras, earumque doctores, belli terroribus eliminatos reuer- ti ad Musas suas permisit. Id quod datum videtur esse precibus in primis Phil. Melanthonis⁵⁹: cuius exstant litterae, eam in rem missae ad Io. Oberburgium, Ca- rolo Caesari ab epistolis.

D 3

Per

nis et sepulcri Lutheri, p. 75.

58) Loc. comm.

59) In Epist. Select. p. 442. sqq.
Ex istis Embacae, a. d. x x i v. Maii
An. MDXLVII. scriptis, lubet haec
transcribere: Oro, vt bonis et do-
ctis viris, qui semper alieni fuerunt
ab omnibus contentionibus publicis
et artes vitae vtilis docuerunt, Ma-

themata ac Physicis, aut enarrarunt
scriptores Graecae et Latinae linguae
opem ferat, vt redire eis in oppidum
vnde initio belli exire iussi sunt, et
suas aedes tenere concedatur. Ae-
quissimum est, horum caussam seiun-
gi a ceteris, qui in odio sunt pro-
pter dogmarum certamina: non enim
opinor vos bellum gerere cum artibus.

Per ea tempora Caesar, quum bellum in Saxonia confedisset ad Vuitebergam, cognouit Euangelicam doctrinam longe aliam esse, atque aduersarii criminarentur. (*Also, das Keyf. Mai. solle im Lager vor Wittenberg, da etliche Fürsten vnd Legaten oft hin kamen, haben gesagt: Wir habens in diesen Landen viel anders gefunden, dann uns gesagt ist.*⁶⁰) Itaque orta est apud quosdam suspicio, (an vana prorsus, nunc non disputem) exinde Caesarem factum esse non modo fauentiorem Euangelicis, sed ab religione Romana fere alieniorem. Quae quidem non recens, et quae tum demum percubisset, accusatio erat. Nam, vt supra dixi, tanta illa tamque laudabilis in rem Euangelicam lenitas Caesari saepius ante vitio data est ab aduersae partis quam plurimis, eorumque criminationibus exagitata.⁶¹ Nec vero fuit temporibus illis facile quisquam alius, qui grauius et vehementius eum incessiisset, totis, vt aiunt, plaustris conuiciorum inuectus, quam ipse Paullus III. P. R. Ab hoc scripta est ad Carolum epistola, anno supra millesimum quingentesimum quadragesimo quarto, post Decretum Spirae tum in Comitibus factum, plena illa iniuriarum et contumeliarum⁶². In ea igitur pontifex,

ex-

60) POMERANVS l. c.

CKEND. l. c. Lib. III. p. 368 b.

61) Vid. RAYNALDI Annal. ad An. 1541. n. 34. et apud SE-

62) Exstat in PALLAVICINI Hist. Conc. Trident. Lib. V. c. 6.

et

exardescens ira, sic ait ad Caesarem ⁶³: „Tu, illemet
 Caesar, (si modo nunc idem,) quaecumque abs te
 recte, riteque ac magnifice pro Christiana religione ge-
 sta fuerant, nunc ea nouo conatu reuocasti et reproba-
 sti. Quod adeo improbum factum, quum omnes pii,
 qui sunt in Germania, detestentur, vt mitiore minus-
 que inhonesto vocabulo lenires, suspensionem vocas,
 quam nos abrogationem penitus interpretamur. — Hac
 in re quis non summopere admiretur, te illud egisse,
 per quod nulli hominum magis, quam tibi, contume-
 liam feceris. — Si enim, quos iam haereticos censuisti
 nobiscum et iudicasti, eos etiam nunc tales esse putas,
 nulla esset tibi profecto causa tuam reuocandi aut sus-
 pendendi sententiam, ne Imperatoriae leges in eos vi-
 geant; quum tanto magis nunc heretici sint, quanto
 pertinaciores ac duriores tanto tempore in sententia per-
 stiterint. Si autem eos nunc haereticos inficeris, a te
 ipso recedens, tuamque sententiam damnans, non aliud
 agis, nisi quod manifeste declarat, te in eorum adgre-
 gari societatem, et illam fidem profiteri, quam scelera-
 ta et adultera illa factio praedicat, et quam Sedes Apo-
 stolica, cum omnibus Catholicis Ecclesiis, anathemati
 subdit.“ — Quae quidem vociferationes inimicorum
 etiam

et compuncta adnotationibus, apud 63) Apud SECKENDORFIUM I.
 SECKEND. I. c. p. 479 — 494. c. p. 492.

etiam post fata Caesaris non ita siluere prorsus, ut non aliquando prorumperent, summa cum iniuria laudatissimi Principis. Adeo ipsa in Narratione, de exsequiis suis ⁶⁴, reprehensus ille ac culpatus est, „quod fidem non deseruerit quidem omnino, at certe indefensam reliquerit aliquando; in sectarios indulgentior, quam par; asperior in Clerum, quam aequum.“

Caesar autem, quantumuis in causa religionis mitissimus, et in Electorem Saxonem mansuetus et benignus, sibi tamen ipse non satisfecit. Ferunt ⁶⁵ eum paulo ante obitum, quum in monasterio D. Iusti, inter alia, praelii Mulbergensis imaginem, auleis purpureis scite intexam, conspexisset, diu quasi adtonitum adstitisse, ac tandem erupisse in haec fere verba: Istam hanc expeditionem esse metam potentiae fortunaeque suae; ab illa si temperasset, feliciora sibi cuncta et laetiora fuisse euentura. Quae ut se cumque habeant, id satis constat, ita ad extremum vitam degisse Carolum, ita obiisse mortem, ut tacti Euangelica religione animi signa luculenta daret.

64) FRID. STAPHYLI de exsequiis Caroli V. Imp. quas Ferdinandus germano fratri suo Aug. Vindelic. fecit fieri: — Cum gratia et privilegio Imperiali, Aug. Vindelic. 1559. 4.

65) THOM. STIBARVS in Vita Io. Friderici, Elect. Sax. (Lips. 1602. 8.) et apud STRVVIUM Corp. Hist. Germ. T. II. p. 1121. n. 79. NIC. LEVTINGERI Comm. de Marchia Brandeb. P. II. p. 126.

daret ⁶⁶. Sed de eius morte, quam vocant, Evangelica commemorare supersedeo, quum satis eam in rem, ac fortasse plus quam satis, dictum sit a Bierlingio, Meyero, aliis ⁶⁷. Id nequaquam silentio praetermittam, quod a nonnullis relatum accepimus, tantum apud quosdam et praecipue Hispanos, odium incurrisse Caesarem ob doctrinam Evangelicam, ut et mortuo insultare conarentur. Certe Melanthon ⁶⁸, "In Hispania monachi, inquit, conati sunt Caroli Imp. corpus, effosso sepulcro contumelia adficere; quod vix impedire filius potuit."

Supereft, ut id tandem agam, cuius causa disputatio haec omnis ab me suscepta. Ita enim, more institutoque maiorum, praefandum aliquid erat anniuersariis orationibus, quae in memoriam Virorum, de bonis litteris earumque studiosis, liberalitate sua optime meritorum, recitarentur a tribus Iuuenibus, studio doctrinae et probitate morum conspicuis. Sunt autem hi:

IO.

66) Vid. THVANI Hist. sui temporis Lib. XXI.

67) Vid. CONR. FRID. ERNST. BIERLINGII Diss. de religione Caroli V. Imp. IO. FRID. MEIERI Diss. de morte Caroli V. Evangelica:

LVC. BACMEISTERI Epist. de morte Caroli V. in LACKMANI

Miscell. Litter. p. 83. sq.

68) In Altero Epist. Libello, p. 114. Conf. Scripta Publica Acad. Vuiteb. T. IV.

E

